



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Punct. I. Quid sit actio & passio, illarúmque distinctio ab agente, passo, & termino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

Controu. 7. Punct. 2. in quo nullum est inconueniens, quia hæc dependentia non est propriè dependentia; neque quæcumque sit, est dependentia entitatis intrinsecæ Dei, sed totum operationis creatæ adæquatè distinctæ à Deo.

10 Dubitari solet: an exemplar sit propriè causa; & ad quod genus causæ illius causalitas siue propria, siue impropria reducenda sit? Ad primam partem negatiuè respondi: ad secundam aliqui apud Patrem Suarium n. 7. putant ad genus causæ formalis pertinere. Melius P. Suarez cum aliis plurimis tenet pertinere ad genus causæ efficientis, quia insluit dirigendo mediâ cognitione, qua actio existit moraliter, tanquam à præscribente ipsius executionem.

11 Circa illius causalitatem breuiter dicendum est, non consistere in cognitione ipsâ secundum se, quia hæc sine effectu dari potest, neque in actione physica præcise sumpta, quia indifferens est, ut ab exemplari procedat, & non procedat, neque importare actionem aliquam intermediam, seu distinctam propter rationem immediatè dictam; sed dicere ipsam actionem quatenus directam ex hac cognitione, & factam ex intentione ipsam exequendi illo modo, quo eam cognitio præscribit. Quod importat actionem esse imperatam ab intentione, quam regit illa cognitio, quod dicit coexistentiam actionis cum intentione potente imperare potentia exequutrici opus exequendum.



LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

DEFINIVIT Aristoteles lib. 2. naturam: *Principium, & causa motus*, & continuò in eodem lib. huius naturæ causas indagauit. Procedit in hoc tertio libro ad examinandum illud, cuius natura est causa, motum, videlicet, de quo hîc disputat; & quia motus iuxta Aristotelis mentem partibus infinitis constat, agit in hoc lib. de infinito.

CONTROVERSIA XII.

De Actione, Passione & Motu.

MOTVS, vt probabo, ab actione, & passione non distinguitur: neque Aristoteles actionem aliquam agnouit, quæ passio non esset; & ideo indifferenter his semper virtut nominibus actio, & motus. Hac ratione placuit in hoc lib. simul agere de natura actionis, passionis, & motus; in quibus nulla intercedit realis distinctio. Cæterum actio est duplex: vna eductiua; alia creatiua; hæc à motu semper distinguitur, cuius notitia Aristotelem subterfugit, de qua agam Controu. sequenti; vbi illa, quæ specialia sunt actioni creatiue, disquiram. Modò ago de actione, quam nouit Aristoteles, in qua multa sunt communia creatiue actioni, quæ in præfati explicabo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit actio, & passio, illarumque distinctio ab agente, passio, & termino?

1 **A**ristoteles lib. 3. text. 22. definit actionem: *Actus huius in hoc*, hoc est actus actiui in passum. Particula *actus*, importat rationem genericam. Per particulam *actiui* differt definitum ab aliis formis, quæ actiones non sunt; sed adhuc conuenit cum creatione, à qua differet per illam particulam *in hoc*. Passionem definit: *Actus huius ab hoc*, hoc est passio ab agenti, dicitur actus passio, quia est, per quod illius exercetur virtus, & per quod ad actum reducitur illius passiuæ virtus, dicitur, *ab hoc*, quia omnis receptio semper est ab aliquo principio, sicuti omnis actiua formæ inductio semper est in aliquod subiectum. Definiri etiam solet actio, *actus actiui, quia tale est*, & passio: *actus passiuus, quia tale est*, nomen actus loco generis ponitur in definitione, reliqua propriam differentiam actionis, & pas-

sionis important, id enim, per quod actiuum suam virtutem exercet, dicitur actus actiui, quia actiuum est, id est, id quod actuat, seu ad actum secundum reducit suam actiuam virtutem, & ita rectè definitur actio, cuius formale est reducere ad actum secundum, actum primum potentia operatiue per actum actiui vt actiuum est, & similiter passio, cuius formale constitutum est reducere ad actum secundum virtutem passiuam per actum illius, cuius est constituere in actuali exercitio potentiam, quam in actu primo supponit. Cæterum prædicta definitio non tantum comprehendit actionem eductiuam, sed etiam creatiuam, utrique enim commune est esse actum actiui quatenus actiuum est, quapropter prior definitio adducenda est ad explicandam naturam actionis eductiue, vt distinctæ ab actione creatiua.

2 Ex hoc infero actionem, & passionem ex suo conceptu dicere distinctionem à principio effectiui, & passiuo, quia utraque dicit dimanare ab vno & esse in alio, sed nihil potest realiter à se ipso dimanare, neque esse in seipso: ergo non potest actio, & passio esse idem cum illo à quo dimanat, & cum illo in quo recipiatur: ergo non potest non distingui à subiecto, & passio. Neque potest dici posse per intellectum concipi emanationem eiusdem à se ipso, & in se ipsum, hæc enim emanatio sic concepta purum erit figmentum, quia realiter & à parte rei repugnat, & tantum habet esse obiectiue in intellectu: formaliter vero actionis, seu id, per quod actio, seu passio formaliter constituitur, debet esse quid reale, & non fictum, quia nulla entitas realis potest habere constitutum pure fictum, sed illud reale debet habere, ac proinde hæc emanatio per intellectum concepta sine distinctione eiusdem à principio actiuo, & passiuo nullatenus posset pertinere ad constitutum formale actionis, aut passionis, neque ad rem est.

3 Specialius probò distinctionem actionis à principio: In primis probò distingui à principio increato, & postea ad creatum procedam. Omnipotentia, & omnia prædicta Dei, & quidquid est Deo intrinsecum, est ab æterno; sed nulla actio, ex vi cuius effectus producitur, fuit ab æterno: ergo omnis actio distinguitur ab omni intrinsecò Dei. Maiorem sancit fides; consequentiam illationis vis: minorem probò: omnes effectus ad extra producti sunt in tempore: ergo nulla actio fuit ab æterno: antecedens est fide firmum, consequentiam ostendo: implicat esse

esse actionem in aliqua mensura, in qua non sit terminus: ergo implicat actionem esse ab aeterno, quin terminus existat ab aeterno. Probo antecedens: actio est id, per quod causa in actu primo potens producere effectum, quem intra se virtualiter continet, illum actu causat, & ponit extra se existentem in rerum natura, sed implicat effectum poni extra causas existentem in rerum natura, quin talis effectus existat, & verè sit extra causas: ergo implicat esse hanc actionem, seu positionem effectus extra causas in aliqua mensura, in qua non sit effectus: ergo implicat actionem fuisse ab aeterno, & effectum non ita, sed in tempore incipere.

4. Occurrit hic connotatorum solutio videlicet volitionem Dei esse ab aeterno sub ratione volitionis, non tamè sub ratione actionis, quia etiam si volitio intrinsecè sit actio, non tamen exercet munus actionis, quousque veniat connotatum extrinsecum videlicet effectus productus quo posito, actio, quæ secundum rationem intrinsecam fuit ab aeterno, incipit in tempore exercere munus actionis, eo modo, quo relatio, quæ est idem cum subiecto, illud non refert formaliter quousque adueniat illius connotatum extrinsecum, videlicet terminus. Hanc connotatorum doctrinam reijcio in Metaphysic. Controv. 9. Punct. 4. §. 2. modo tamen in hac materia specialiter impugno. Actio intrinseca nempe volitio Dei, vel illa, quam tu fingis identificata cum Deo, est indifferens ad exercendum, & non exercendum munus actionis, vt ex vi illius ponatur, vel non ponatur effectus, & determinatur formaliter per connotatum extrinsecum, vt hic & nunc exerceat munus actionis, & vt ex vi illius ponatur effectus: ergo cum illa volitione, seu cum illa formalitate, quam tu actionem vocas, adhuc est indifferens ad ponendum, & non ponendum effectum, & physicè determinatur per illud, quod tu connotatum actionis appellas: ergo hoc connotatum habet totam rationem actionis, & non volitio, seu formalitas, quam tu actionem esse dicis. Probo consequentiam: munus actionis, & ratio formalis constitutiva illius est determinate physicè & in actu secundo principium actiui ad effectum hic & nunc producendum: sed illud, quod tu connotatum esse dicis habet hanc formalitatem determinationis, & exercet hoc munus determinandi & non illa volitio, seu formalitas, quam tu actionem appellas: ergo hoc connotatum, & non alia volitio, seu formalitas identificata cum Deo habet totum formale constitutum actionis, & est formaliter actio. Dices volitionem Dei esse actionem, & determinare per se formaliter omnipotentiam, saltem moraliter, licet non physicè ad effectum præstandum, quia posita volitione Dei non potest non esse effectus. Contrà: eodem modo posset dici reuelationem, seu promissionem Dei de effectu futuro esse actiones, quia illis positis non potest non esse effectus, Deus enim ex vi promissionis, seu reuelationis determinatus manet ad exequendum illud, quod promittit, nihilominus non dicuntur actiones promissio, aut reuelatio, quia non determinant Deum in actu secundo formaliter ponendo effectum, sed tantum quasi obligando Deum ad effectum. Sic volitio Dei obligat omnipotentiam per modum actus primi vt actionem decretam ex vi volitionis in actu secundo exerceat tempore, quod volitio præscribit, non tamen in actu secundo ipsa volitio formaliter physicè omnipotentiam determinat, neque formaliter illam constituit in actu secundo efficientem, aut est formalis executio effectus, quæ sunt munera actionis, non verò principium per modum actus primi determinare, quod præcisè habet Dei volitio.

5. Eandem conclusionem respectu principij creati sic ostendo: Nullum est principium creatum ita per suam entitatem determinatum ad hanc numero actionem, quod Deus non possit coexercere ab illa actione & ab effectu ex vi illius actionis producendo: ergo nullum est principium creatum identificatum cum hac numero actione. Consequentia est legitima: quidquid enim realiter potest ab aliquo separari, ab illo realiter distinguitur: ergo si qualibet actio singulariter sumpta potest ab hoc principio separari, nulla est cum illo identificata. Antecedens probo: omne agens creatum dependet in operando à Deo liberè concurrente cum illo ad effectum producendum: ergo potest Deus non concurrere cum illo ad quamcumque actionem singulariter sumptam: ergo potest impedire quamcumque actionem. Dices: Deum liberè producere quemlibet

effectum, nihilominus posse producere aliquod principium productum, quo posito non possit Deus effectum alium non producere, sicut posita actione non potest Deus illius terminum impedire, quia ipsa actio est formaliter productio, eodemque modo posse dici ipsum productum esse formaliter productionem, ac proinde posito productum non posse impedire Deum terminum producendum. Contrà: productio creata essentialiter est determinatio virtutis ad producendum, ac proinde essentialiter supponit productum à se distinctum. Secundò: illud productum, quod tu fingis esse productionem necessariò dependeret ab alio, quia non potest esse à se: illud ergo, à quo dependeret diceretur virtus productiva, quæ determinaretur per id, quod tu vocas productum, quod tantum esset productio, quia esset determinatio virtutis, à qua dependebat ad producendum effectum per illam productionem.

6. Aliter responderi posset Deum liberè omnia producere, esse tamen entitates ita inter se connexas, vt non possit vnā sine alia, neque producere, neque conseruare, sicut non potest conseruare relationem prædicamentalem, si datur, sine terminis, neque vnionem sine extremis, neque modum aliquem sine re, cuius est modus. Fateor esse aliquas entitates, quæ non possunt sine aliis conseruari, quia ab illis essentialiter dependent; causa tamen non essentialiter dependet ab effectu, ac proinde nullum erit caput, ex quo repugnet de potentia Dei absoluta sine effectu conseruari, quia causa est prior effectu, & à qua non valet subsistendi consequentia. Instabis: quantitatem non posse conseruari sine præsentia, quæ est illius effectus. Respondeo quantitatem posse conseruari sine hac præsentia determinata, & sine quacumque alia, quam tu assignes, & posse conseruari, quin aliquam præsentiam producat, quia potest esse præsens per præsentiam ab agente extrinseco productam, quod fatentur omnes, & addam lib. 4. quod non hic exposcit obiectio, posse quantitatem ab omni præsentia absolui. Secundò hæc entitas, quam tu vocas principium productum, & productionem, ex vi cuius alia entitas producit, vel dependet à Deo per se ipsam, vel per aliam actionem: si per aliam actionem, actio non est, quia actionis non datur actio: si per se ipsam, in quo non distinguitur ab influxu, quem assignat communis sententia, cur vocas illam entitatem principium productum, & non puram productionem? Vltimò illa productio non esset creatio, quia iuxta probabiliorē sententiam nullum ens creatum gaudet virtute creatiua: ergo esseteductio: ergo præsupponeret subiectum. Tunc sic: aut illa entitas esset à Deo producta per creationem, aut per educationem: non per creationem, quia res creata est independens à subiecto, illa veròeductio per se ipsam à subiecto dependeret. Secundò, quia creatio, per quam fuisset producta à Deo, deberet à se ipsa distingui, & hæc fingi non potest, quia non potest dari creatio ad educationem terminatam non per educationem superadditam, quod fieri nequit, quia educationis non datureductio: ergo deberet educi per se ipsam, & tunc redit argumentum supra factum, in nihilo enim discreparet hæc entitas, quam tu dicis esse principium productum, & educationem, ab illa, quam ego dico tantum esse educationem. Debeo hanc rationem doctissimo Societatis Magistro, apud cuius scripta illam legi, quæ manifestè continet omnem actionem, & passionem essentialiter distingui à principio actiui, & passiuo.

7. Excludo à conceptu quidditatiui actionis distinctionem à termino quia potest eadem entitas per se ipsam ab hoc principio dimanare nullo influxu interiecto, in qua sita erit tota ratio constitutiva actionis, quod sic probatur: ratio formalis constitutiva actionis est determinare principium in actu primo productum continens virtualiter effectum, ad effectum ponendum extra se ipsum, sed entitas per se ipsam fluens ab hoc principio illud determinaret in actu secundo ad illam producendam: ergo haberet totam rationem formalem constitutivam actionis. Idem argumentum conficio in passione: quæ potest esse indistincta à termino, quia potest dari entitas per se ipsam dependens ab hoc subiecto, & illud formaliter determinans ad exercitium virtutis passionis, quam habet.

Concludo: de ratione actioniseductiue, & de ratione passionis esse ordinem ad principium & passum, non tamen

ad terminum. Hanc partem negatiuam primò probò: de ratione actionis, & passionis non est distinctio à termino, sed potest componi cum identitate respectu illius: ergo de ratione actionis, aut passionis non est respectus ad terminum, cum respectus essentialiter includat distinctionem inter extrema, & implicet hanc entitatem essentialiter illam respicere, quin essentialiter ab illa distinguatur, quia eiusdem ad se ipsum realis respectus inueniri non potest. Actionem eductiuam dicere ordinem ad principium actuum, & passiuum constat ex ipsa definitione *actus huius in hoc*, hoc est, productiui in passiuum, & manifestè ostenditur, quia implicat intelligi productio alicuius virtutis in aliquo subiecto, quin intelligatur virtus illa, à qua procedit talis productio, & illud subiectum, in quo effectus ex vi illius productionis producit. Similiter passio similem respectum dicit non solum ad principium passiuum, sed etiam ad actiuum, quia est *actus huius ab hoc*, scilicet à principio actiuo, & implicat intelligi subiectum recipere ab agente, seu receptio in passio à principio productiuo, quin intelligatur principium productiuum, imò prædicatum receptionis secundum se semper dicit esse ab alio, quidquid enim aliquid recipit, illud ab aliquo, quasi largiente ipsum recipit.

Ultimò affirmo, quod etsi ratione actionis, aut passionis ut sic non sit distinctio à termino omnes actiones, quæ de facto procedunt à principiis creatis (vitalis demè, de quibus libro de Anima) realiter à terminis distingui, quod sic probò: omnis effectus non vitalis, à deo de facto productus fuit ab hac causa potuit produci à Deo, causa hac non concurrente, & de facto illorum quam plurimi non conseruantur à causa creata, à qua primò producantur: ergo non dependent per se à causis creatis, sed medià actione superaddita. Probo consequentiam: si effectus per se ipsum à causa creata dependeret, implicaret produci à Deo tanquam à principio adæquato independentem à causa secunda, quia nihil, quod entitati per se ipsam conuenit, potest illi non conuenire, sed potest effectus productus à causa secunda non dependere ab illa, sed tantum à Deo, ergo non dependet per se ipsum à causa secunda: ergo per actionem superadditam distinctam ab entitate effectus.

PUNCTVM II.

An actio, & passio realiter distinguantur.

Ixi Puncto præcedenti actionem esse causalitatem, per quam virtus effectiua reducitur ad actum secundum, & passionem esse causalitatem, per quam virtus passiuæ similiter in actu secundo constituitur, procedit modo de eis entitatibus disputatio, an videlicet inter ipsas realis aliqua distinctio intercedat, quæ nostri intellectus operationem præcedat, & ab hac dependentem existat. Scotus in 4. dist. 13. quæst. 1. & quodlibet. 11. Antonius Andreas lib. de 6. princip. q. 9. censent actionem, & passionem realiter distingui ante omnem intellectus operationem, his tenentur subscribere, qui actionem etiam transeuntem in agente constituunt, & passionem in subiecto.

Contrariam sententiam schola ferè tota amplexata: Doctorem vnum do Patrem Suarium disp. 49. Metaphysic. sect. 1. plurimos alios omitto. His subscribo, qui ad mentem Philosophi, de qua in hac re dubitare fas non est opinantur: sic Philosophus cap. 3. huius libri, text. 18. & eius, quod mouendi vim habet: mouendi quippe vim habet, quia possit, mouet autem eo, quod agat, sed in id, quod moueri motu potest, actus est vnus, igitur (tene) amborum a quæ est actus. Præter morem suam mentem clarissimè aperuit Philosophus, quid enim clariùs illis verbis: *Vnus igitur amborum*. (hoc est illius, quod mouet, & illius, quod mouetur) *equè est actus*, rursusque sententiam suam statim explicat exemplo intercapedinis, quæ est inter duo extrema, quæ eadem est omnino realiter, etiam si extrema distinguantur; nam eadem est via, quæ ducit Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Sententiam hanc Philosophi auctoritate & cõmuni scholæ plausu stabilitam, hac vnica ratione probò. Necessaria non est duplex entitas, quarum vna sit actio, & altera passio, & optimè vtriusque formalitas in eadem indissolubilem entitatem confluere potest, neque fundamentum est positium, quod hanc distinctionem suadeat: ergo non si-

ne magna animi leuitate discedet aliquis à communi sententia, quæ actionem, & passionem sine entitatum multiplicatione defendit. Consequentia mihi semper est firma: puerile enim iudicio singularem sententiam defendere eo præcisè, quod nulla possit demonstratione impugnari. Antecedens expendo, & probò. Passio illa, quæ fingitur distincta ab actione necessariò dependet à principio effectiuo, hanc enim dependentiam nihil creatum subterfugit: ergo si per suam entitatem, nulla alia actio distincta erit necessaria, vt effectus producat, & dependeat ab agente, quia medià illa passione quam dicit per se dependere à principio effectiuo, ab eodem terminus illius passionis dependebit, & efficiens denominabitur. Si dicas passionem dependere à principio effectiuo medià actione, inquirò an actio dependeat per se, vel medià alia entitate: si dicas dependere medià alia entitate in infinitum procedes: si respondeas dependere per se, sic arguo: Actio potest immediatè, & per se dependere ab agenti: ergo & passio posset eodem modo immediatè, & per se dependere: sed data passione, quæ immediatè & per se dependeat ab agenti, non est necessaria alia distincta actio: ergo abolute necessaria non est, siquidem passio illa dari potest. Dices actionem posse immediatè, & per se dependere à principio actiuo, quia in illo subiectione, passionem verò necessariò dependere medià alio, quia non subiectione in principio actiuo, sed in passio. Supponis falsè actionem subiectione in principio actiuo, quod Punct. 3. impugnabo: sed esto, sic argumentor: Passio illa existens in principio passiuo, quæ tu dices dependere à principio actiuo medià actione existente in actiuo principio, etsi mediatè ab hoc dependeat, tamen dependet immediatè, & per se ipsam ab actione, nulla enim alia inter actionem, & passionem causalitatis fingi potest: ergo concedis passionem existentem in passio per se ipsam dependentem ab actione existente in alio subiecto, videlicet in principio effectiuo: ergo non repugnat, aliquam entitatem per se ipsam dependere ab alia entitate, in qua non sit, tanquam in subiecto, & cum qua commune subiectum non habeat: ergo ex eo quod passio non subiectione in agente non indiget dependentia superaddita, vt ab illo possit dependere, sed rectè per suammet entitatem poterit dependentiam habere.

Ostendi iam præcipuam antecedentis partem, videlicet necessariam non esse duplicem entitatem distinctam, sed in eadem rectè conspirare formalitatem actionis, & passionis, alteram partem videlicet non esse fundamentum aliquod positium, quæ hanc distinctionem suadeat satis latè persuaderem, si mihi oppositæ sententiæ patroni suis argumentationibus materiam ministrarent, sed vix in meam sententiam obiectionem reperio, neque illam modò refero, quia si aliqua reperitur, orta est ex eo quod actio debeat subiectione in principio effectiuo, quod Punct. 3. falsum esse ostendam.

Ne videar validioribus pepercisse rationibus ad hanc sententiam stabiliendam, vel imprudens omisisse alias, quibus alij Doctores vtuntur, placeat nonnihil immorari in examinandis rationibus, quibus hanc sententiam nonnulli propugnant. P. Hurtadus disput. 16. Metaphysic. sect. 4. sic argumentatur. Per eandem actionem, per quam principium efficiens efficit terminum, terminus dicitur factus: ergo actio, & passio realiter non distinguantur. Antecedens multis probat, quia eadem actione, qua ego video Petrum, Petrus videtur à me, nam apud Latinos vox actiuo, & passiuæ tantum terminatione differunt, & hæc est prima actiuæ notitiæ: ego actione produco Petrum, quæ passiuæ reducitur per hanc: Petrus actione producit à me. Vrget paritate desumpta ex actibus intentionibus, qui ex eo quod terminentur ad obiectum illud constituunt visum, intellectum, & amatum: ergo actio ex eo quod terminetur ad effectum constituit illum formaliter effectum. Porro Hurtadus est totus vt probet per eam actionem, per quam agens efficit terminum hunc dici effectum, quod negabit nemo: sed vnde sibi sanctum putauit Hurtadus illam entitatem esse passionem, per quam terminus constituit effectum. Nonne quia passiuè significatur passio dicitur? Absit à viro docto tam indecora illatio. Concedo per eandem actionem, per quam agens producit calorem, calorem constitui productum, & factum & adhuc mihi liberum est asserere illam entitatem non esse passionem, quia passio est id, per quod calor, seu terminus productus recipitur formaliter in subiecto, non verò id, per quod efficitur,